



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 19. Cardinalis de Meudon extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](#)

Porro sub Paulo III. Julio itidem III. Sæcul. XVI.
 & Marcello II. in Æmilia legationem A.C. 1559.
 obibat, ibidemque saluberrimas Constitutiones pro bono ejusdem Provinciæ regimine edebat. Denique postremum vitæ suæ diem Romæ in conclavi feria sexta die primo Octobris clausit annos natus quinquaginta septem, quamvis non defint scriptores, qui illius obitum ad mensem Decembrem rejiciant. Se-pultus est in Ecclesia S. Mariæ de Pace. Hic idem Hieronymus Romæ magnificum construi jussit Palatum de ejus nomine hodie dictum *Capo di Ferra*, seu *Caput Ferreum*, quod Spadana Familia hac ætate nostra valde ornatum possidet.

§. XIX.

Cardinalis de Meudon extrema.

Sextus erat Antonius Sanguin, dictus *Ciac. p. 665.*
San Marth.
in Gall. Chr.
Aubery l. c.
 Cardinalis de Meudon, natione Gallus, atque Antonii de Meudon supremi Aquarum, & Sylvarum in Franciæ Insula, Campania, & Bria Præfecti, necnon Mariæ de Simon Filius. Hic Stampsensis Ducissæ Neptis suæ, postquam Franciscus I. Galliarum Rex eam perditæ amare cœperat, auctoritate, & gratia ad obtinendas dignitates Ecclesiasticas utebatur, illiusque opera primo Floriacensem Abbatiam ad Ligerim,

T 3 nec-

Sæcul. XVI. necnon regii Sacellani dignitatem, &
A.C. 1559. postea Anno Domini millesimo quingen-

tesimo trigesimo tertio Aurelianensem
Episcopatum impetravit, cuius tamen
possessionem nonnisi die vigesima quar-
ta Octobris Anno supra millesimum quin-
gentesimo trigesimo quinto adiit, ibi-
demque ducentos septuaginta criminum
reos absolvit, liberosque e carceribus
dimisit. Tandem ad Francisci I. preces
a Paulo III. Pontifice in numerum Car-
dinalium Presbyterorum adlectus, titu-
lum S. Mariæ in porticu obtinuit, sed
postea annuente Julio III. ad S. Chryso-
goni titulum translatus est: porro ru-
brum Galerum Parisiis in festivo Pente-
costes die in Ecclesia Beatæ Virginis a
Cardinale Farnesio, qui tum in Francia
Legatum agebat, recipiebat: anno au-
tem millesimo quingentesimo quadra-
gesimo tertio die decima septima
Augusti Magnus Franciæ Eleemosy-
narius creabatur, eratque is primus,
qui hoc titulo honorabatur; illi enim,
qui eum præcedebant, nonnisi magni Re-
gis Eleemosynarii, vel mere Eleemosy-
narii Franciæ appellari solebant. De-
mum aliquo post tempore Parisiorum
Gubernator, cum Carolus V. Imperator
hanc urbem cum exercitu suo invadere
moliretur, constituebatur: ast pace bre-
vi post cum hoc Cæsare inita, unacum
aliis

aliis Proceribus obses dabatur, donec Sæcul. XVI.
pacis articuli fuissent ad executionem A.C. 1559.
deducti: cum vero Stampensis Ducissæ
amici per Regis obitum plurimum de
sua auctoritate deciderent, Cardinalis
suam magni Eleemosynarii dignitatem
exuit, seque in Italiam recepit, ubi Ju-
lii III. electioni interfuit, paucisque post
annis in Franciam redux Parisiis in No-
focomio, quod ipsem prope D. Catha-
rinæ Vallis-Scholarium Ecclesiam ædi-
ficari fecit, die vigesima quinta Novem-
bris feria sexta Anno a Christi Nativi-
tate millesimo quingentesimo quinqua-
gesimo nono decessit, sepultusque fuit in
templo eidem D. Catharinæ facro. Por-
ro eo tempore, quo Romæ morabatur,
a Papa nominabatur ad Tolosanum Ar-
chiepiscopatum tum vacantem, eo quod
Cardinalis de Castillione natione Gallus
hæresis nota infamis in Angliam auffu-
gisset.

§. XX.

Dandini Cardinalis fata.

Septimus fuit Hieronymus Dandinus *Ciac. p. 781.*
Cæsenæ, celebri Æmiliæ urbe in Ita- *Ugel. in Ital.*
lia ex nobilissimo genere natus , nam *sacra.*
Anselmi Dandini, & Joannæ Muratinæ *Aubery l. c.*
Foroliviensis filius extitit , quorum pa-
rentum cura liberaliter educatus in pa-
tria humanioribus literis operam dabat:

T 4 inde